

quorum uictorie. et autem
dixerit incedant. Et qui
dimissam dixerit. me
dicit. Adicit et in fupli ex.
Sicut e causa hominis in
uoxe. in ce pedo in
III DE. Non omni capite
liberant. f. b. b. b. b. b.
offert. Minima in. SECTE

Divina hinc et incedant

In

pacem

hinc in

et

et in

83



Diese Anzeig. F. 207 Bl.
15 ND 92.

Huic libello insunt;

1. Petri Wesenbecij Oratio de Vualdensibus et Albigensibus christianis.
- 2 De hospitio scholarum et Ecclae Oratio Gregorij Beremani.
- 3 Oratio de æ. DEO agnoscendo: et de lingua hebraeae veneranda antiquitate et dignitate, Hermanni Rennecherij.
- 4 Oratio περι τῆς ἀνθρωπογενεως christiane Urbani Pierij
- 5 Oratio de summo fine bonoq hominis Pauli Auleandrij
- 6 De calumnia Oratio e graeco Luciani Samosatensi in latinum sermonem adcommodate versa ꝑ Georgium Fabritium.

Th. hist. R. x, 242

DE CALVMNIA

ORATIO:

QVAE TVRPIS-
SIMI ISTIVS VITII
TVRPITVDINEM SCI-
tè proponit.

E GRÆCO

LVCIANI SAMOSATENI

*In Latinum sermonem adcommodatè
conuersa, & recens edita,*

per

GEORGIVM FABRITIVM
SOLITARIENSEM.



*Bellum mouet Calumnia:
Victrix triumphat Veritas.*

clō. Io. xic.
69.

AD AVTHOREM
Epigramma.

LÆTOR ego, FABRITI, atq; tuos tibi grator honoreis:
Quòd tibi ab Invidia bella parata cluent;
Prætereaq; Asini spernunt tua carmina, gratum
Auro ipso stramen queis magis esse solet:
Hinc siquidem ingenij veris te dotibus auctum,
Nec non propitios constat habere deos.
Maçte igitur virtute, Viam, quam currere cepsti,
Latus perge; Asinos nilq; morare rudeis.
Ars habet infestos nullos sibi, præter inerteis:
Conficitur telis Invidia ipsa suis.

I. Schard. F. P. L.

CONRAD SCH. F. τῷ λογογράφῳ.

Ὡς ἔπεται σκία τὸν διὰ ἡλίου ἴοντα:
Τὼς φθόνῳ ἄνδρα ὅλως εὐτυχέοντ' ἔπεται.
Χαῖρ' ἄρα μήδ' ὄχθαι μισαῖς ἀγαπητὸν Γέωργε,
Ὅττι σοὶ ἔχθόμενοι πολλοὶ οἱ ἀξιωματοὶ.
Ἐκ τούτου δὲ σ' ἰδεῖν ἐστὶν δεδαιμένον εἶναι,
Καὶ σ' ἰλάσσει θεὸς μιλίχιθρον ἔχειν.

AD REVEREN-
DUM VIRVM, NICO-
LAVM DANIELEM SCHOEN-
BVBIVM, ABBATEM SOLITARIEN-
sem nuper creatum: Pietatis & Virtutum atque Do-
ctrinae laude præstantem: Ordinis Literarij
Patronum eximium.



RATIONEM istam, Vir reuerende,
quam de Calumnia adulescens, multis
calumniarū tricis in patria inuolutus,
& aliquamdiu, peruerso iure, peruerso more, im-
peditus, è Græcia, exercendi aliquà ingenij genij-
que mei causa, in Latium hoc nostrum, Mæcena-
tibus meis, subdolè mihi Lingua illa tertia tum
abreptis, ita reciperandis, destinatam, transtuli:
Eam ex aduersarijs nostris olim relictis, immo
reiectis tamquam σκυβάλοις SOLITARIÆ nū-
per ereptam, receptam, repurgatam, euolgatam,
tibi nunc meritissimò dico dedicoq̃. De causis in-
quiris? Mane: nihil heic dissimulabo; sed nec si-
mulabo quidquam; fraudulenter aut ambitiosè:
principiò, mouet ecce me & permouet ille, qui vi-
detur à natura, in patriam Adfectus.

— ἀναγκάως (inquit Euripides) ἔχει
Πατέϊδος ἐργὰν ἀπαντας.

* 2

Cui

Cui ferè concinit illud Ovidianum:

*Nescio quà Natale solū dulcedine cunctos
Ducit, & immemoreis non finit esse sui.*

*Deinde, per quam acriter urget etiam Fides
apud te mea deposita: nec enim ab ijs ego, qui Le-
thæo subindè litant. Præterea, inducit eò me Pro-
bitas tua, & Doctrina, & Virtus: quæ insignis ab
Humanitate atque Candore:*

Εχθρὸς γὰρ σοὶ κείνῳ ὁμῶς αἰδᾶο πύλησιν:

Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθει ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δὲ βάζει.

*Vnde vel ipsa quoque Rei propositæ Naturâ
huc me sedulò impellit. At enim, dices: quid mi-
hi cum Luciano? iūne Sannionem illum ἄθεον mi-
hi tandem commendaueris? Equidem, A B-
B A venerande, T E spectans, quin M E quoque,
satis intellego, tibi θεολογικώτερον aliquid abs me
deberi. Verum, si sentis, (nec lentus enim vs-
quam es) etiam*

— ridendo dicere verum

*Luciano vel nequior aliquis aptè potest. Enim-
verò, huc respice: & hinc dispice, quæso, parùm res
omneis: diuinæ: humanas: publicas: priuatas.
nonne verum? in istis malorum & errorum o-
mnium causam esse solam IGNORANTIAM?
De nostris, hoc est, Theologicis, seu diuinis, ne lon-
gius abeam, ecce unicum exemplum; quod exi-
mum*

mium exemtilis ille testis Veritatis, immo Veritas, in Saduceos ita statuit: Erratis, ignorantes Scripturas. Vna igitur ignorantia Scripturae, hoc est, (confidenter enim adfirmo) verae doctrinae de Litera & Spiritu, causa omnium circa Theologiam errorum. De alijs, suppeditabit etiam haec ipsa Oratio aliquot insignia. Iam, Ignorantia ista quomodo sit excutienda, ut locus etiam illis (malis, inquam, & erroribus) esse non possit, haec nisi videris, videbor ipse Lucianus. Quid autem? Voluine hanc solidam solutionem eius esse, quod debeo tibi? non certe. volui saltem ad istam ipse me sic obiter excire: & tibi semel hanc animi mei mentem simul ostendere. Quemadmodum ergo vides, mi Domine, benignos creditoreis aliquotiens debitorumvolentia, ex donariolis forte percepta, a Basios sustentari: ita quidem Te velim hac etiam nunc Mea. Postea; si Deus mihi vitam concesserit, & valetudinem, ac otium; plenius forte an & planius illud debitum tribuero. de ingenio quidem meo; nihil audeo polliceri: nisi; laboris huius literarij & adpetens esse multum, & forte patiens. Interea, te Vir reuerende quaeso; gratum tibi sit hoc munus: gratior animus hic ipse meus. illud te gas, qua potes, auctoritate: istum regas, qua soles, benignitate,

* 3

& amo-

& amore; qui, medeus, in te mihi magnus. Antistes optime, & omni seculo venerande salue, cum ijs qui ex cœtu vestro me volunt saluum. Rotenbaci. quo die Sebastianus olim, ante annos CLO. CCCII. commilitonum sagittariorum, ex eadem illa ignorantia, quasi scopus.

Ecce: Carmen hoc, iam etiam à quo sine cura precedente, sine commetante labore, eidem argumento tibi, Vir reuerende, à me uno unius horulæ nixu natum, paratum, vide; & si placet, adride.

CHARMA EPICVM:

R. V.

NICOLAO DANIELI
SCHOENBVVIO ABBATI
SOLITARIENSI.

Pro felici nouitiæ dignitatis
obseruatione.

d. d.

NON mihi MNEMOSYNES est visa tenerrima nuper,
NON audita COHORS: fateor. Quis enim locus istis
Inter tam rigidos, caperato pectore, FAVNOS?
At genialis agit mecum tamen illa ANTIQVO
Musarum quondam MELETEA aptissima in ORBE:

Hecq₃

Hæc q̄, subinde mihi, non quæ sint auribus his iam
 Sufficientia purgatis, sed quæ pia mentis
 Vota probent huiusce probis modò, carmina dictat.
 Iam quoq̄, se insinuat nostro, ecce, AFFECTV; & istos
 Suggestit, at nullo, de te mihi, Apolline, versùs,
 O NICOLAE equò multùm venerabilis ABBA;
 PATRIA quo exsultat SACRORVM PRÆSIDE nostra.
 Em! tanto felix mea Patria dulcis ALVMNO!
 Vt IOVIS à latere hinc digressa tot vndiq̄, (mirum!)
 Numina sancta tuo in gremio considerare gaudent?
 Hoc q̄, frui hospitio? postquam DANIELE fruisçi
 PRÆSVLE nunc cepsti. At quàm conuenientia quomdam
 NOMINA seu FATVM tibi seu FORS contulit! ABBA.
 Quandoquidem VINCIS tibi deuincisq̄, POPELLVM
 Perfacili Grauitate, Graue est; sibi ponere magno (git.
 Frænum in honore: Malum hinc, vah! quam Ambitionis abe-
 Luxuriæq̄, & Auaritia, ÆQVO à tramite multos!
 TV quid? vti firmis perstat radicibus arbor
 Alta, minis celi nullis violanda, ita RECTA
 È STATIONE nihil te vnquam submouerit. Altum
 Iamq̄, licet planè teneas hoc CVLMEN HONORIS;
 PRÆSVL vt eximio fungaris MVNERE magnus:
 Non tamen Antiquos animi Mens exsuit illos
 HVMANOS moreis: Tumidi tibi abomina fastûs.
 Quin neq̄, subfultum est tibi callidiorè Serenum
 VOLPE COR: EBRÆVM referens iuuenem, omnia RECTE
 Verùm EXPENDIS; & hinc SINCERO, quid Statuendum,
 IVDICIO ostendis: Simulantem, haut nescius, Vmbram
 Esse sui; non ipsum Hominem: nec LIVIDA tangunt
 Te PRÆIUDICIA, heu! quamtùm mihi iniqua! TENOREM

*Summa, tenes VITÆ hunc: GRAVITAS Placidissima vt ipso
Promicet è Voltu: bona GRATIA Gestibus exstet:
Perspicuet GENIUM cata LINGVA deinde SAGACEM:
Tum PIETATIS amor validè AFFECTV' que notetur.*

*Nimirum, hæc RECTVS, DOCTRINA imbutus honestâ,
Præstat vbiq; ANIMVS: nec, vt IGNORANTIA cuiquam
Turpiter imponat, sinit. Hinc, tantùm addis Honoris
OFFICIO NICOLAE tuo, quo fungeris: ipsum
Quantùm Illud tibi fortè, Sed horum desino: ne quid
AURIBVS insimuler, peruerso more, dedisse,
VIR REVERENDE, tuis: licet hæc PRÆLVDIA saltem
Sint haut magna tuæ, sed verè Seria, LAVDIS:
Quam benè si cupiam, vt cupio, indugredi; V afer illos
Eliciam insigneis præstantis Apollinis orsûs.*

*Interea, EX ANIMO, studio tibi deditus omni,
Defero ME' que meamq; lubens (placet? vtere.) MENTEM:
ET VOVEO: VERI SIT HONOS TVVS ALTOR HONORIS:
VERVS HONOS: FIDEI STUDIVM VENERABILE VERÆ.*

G. Fabritius Solitar.

A D L E C T O R E M

P R Æ M O N I T I O .

TV verò, mi Lector, vt, priusquam ad ipsum Lucianum
de Calumnia Latinè, interprete me, differentem ad-
uertas, eius interpretationis aliquam habeas rationè:
en tibi præstantissimorum aliquot hominum eadem de re
Præcepta & Exempla: quæ sequi sanè volui: an planè sim ad-
sequutus, tu qui iudicio vales, expendes, iudicabis.

M. T.

§
M. T. Cicero.

Conuerti ex Atticis duorum eloquentissimorum nobilissimas Orationeīs, inter se contrarias; Æschinis, Demosthenisq; nec conuerti ut interpres: sed ut orator: sententijs iisdem; & earum formis, tamquam figuris; verbis ad nostram consuetudinem aptis. in quibus nō verbum pro verbo necesse habui reddere: sed genus omnium verborum vimq; seruaui. Non enim ea me adnumerari lectori putauī oportere: sed tamquam adpendere.

Q. Hor. Flaccus:

Nec Verbum Verbo curabis reddere fidus

Interpres.---

D. Hieronymus:

HÆc est regula boni interpretis: ut idioma alterius linguæ, suæ linguæ exprimat proprietate: non verbum verbo reddere curiosus.

I. Sturmius.

IN vertendo scripta Linguæ alienæ, vitanda est seruitus, nihil commutandi. Translationes enim permultæ tales sunt; ut in alio sermone sint cottidianæ: in alio non recipiantur. & formæ sententiarum eiusmodi sunt; ut, si manent, barbara verba, & connexiones verborum impurè sub stilum irrepant. neque eadem compositio, idem numerus, eadem membrorum consequutio potest sæpè conseruari. Quare non eadem reponenda: sed paria, & similia, & peræquè bona, atque illa fuerunt, quæ sunt mutata.

*

§

I. Lipsius:

I. Lipsius.

Vidi versionis specimen: & probo. illud vellem; plus aliquid tibi permitteres: nec vestigia vsquequaq; sermonis latini premeres pede tam certo. Arta per hanc curam versio, adstricta; tenuis; sæpè obscura. Est suus videlicet cuique linguæ genius: quem non auellas; nec temerè migrare iusseris in corpus alienum. Quàm multa latinè breuiter scripserim; quæ si totidem verbis transferas, sententia nec plana satis, nec plena sit? quàm multa rectè & erectè; quæ in alia lingua iaceant, aut vacillent? Quod ijs præsertim euenit; quorum stilus paullò magis ab eruditione, & à cura. Iam allusioneis illas, agnominacioneis, flexûs, & in vno sæpè verbo imagineis, quæ tam dextra mens veritat, vt eadem vis ijs aut venus? Exorbita igitur: & hoc erit rectam in vertendo viam tenêre, viam non tenêre.

Hæc sunt, mi Lector, quæ tibi de versione nostra, ante versionem ipsam, ostendere habui. Tu iam, si rectè GLISCIT FAVORE STVDIVM, huic faue, & vale.

NON



*NON LEVITER ESSE DELA-
tioni cuius adfentiendum.*



I vllum est malum, Viri magnifici, Mæcenates colendi, aut vlla res, hominum afflictorum perditis iam rebus extremam exitiorum præbens exsequutionem: haut ea dubiè IGNORANTIA est: quæ extremum nobis malum, etiam pernitiem extremam, atque extremum omnium exitium, quoquo modo potest, creare solet. Non enim communi solum vitæ obscuritatem quamdam ingentem hæc adfert; sed priuatis etiam cuiuslibet rebus miram perturbationem infert: nec profundissimas ipsi modò tenebras offundit; sed has etiam planè confundit: neque verò veri notitiam in ipsa tantùm illa exstinguit; sed multivariam deniq; has etiam ipsas perfringit. Ex quo fit, Mæcenates, vt plerique omnes, non secus atque ij, qui vel nocturnis in tenebris ambulare, aut planè excæcati esse dicuntur, nunc huc nunc illuc ambiguis vacillantes gressibus, ac miserè allucinantes, vbique impingamus: & vt in propinquo ac ante pedes nostros posita & constituta non animaduertentes mala, illa, quæ quàm longissimè à nobis sunt remota, pertimescamus: vt denique nihil in humanis vspiam tam benè possit, tamque aptè peragi, quin dubius quidam error & ambiguus semper in eo versetur. Indeque adeò tot planè innumeri tam nefandi casus proueniunt; totque & tam horribiles

biles

DE CALUMNIA

biles clades existunt: vt Labdacidarum illi & Pelopidum; atque plures eiusmodi plurium tragici interitus. Nam plerumq; quod in Tragædijs scenæ ac pulpita vociferantur atq; clamitāt, ab Ignorantia, tamquam tragicorum eiusmodi casuum Deo quopiam proficiscitur. Iam verò non in alijs modò plurimùm hæc pollet; verùm in primis etiam & maximè pernitiōsa est; si quando in familiarium obtrectationeīs, ac mutua amicorum odia incidit: quibus & in priuatis rebus per dissensionē domesticas ipsæ domūs, & in publicis per odia & dissidia ciuilia ciuitates vniuersæ perduntur & funditus euertuntur: ita vt parentes in liberos suos scæuiant; liberi parentibus etiam suis insidientur; vt frater à fratre, à coniuge coniux, & amicus ab amico separetur, seiungatur, & abalienetur; vt denique ex illis Calumniæ machinis omnia destruantur, ac deleantur. Quapropter hæc ego Oratione, qualiter præcaueri possit Calumnia, quid ipsa etiam sit, & vnde proueniat, quid tandem efficere ferè soleat, tamquam in tabula quadā scite depingam, & ob oculos dilucidè ponā. Eius autem, quam heic proponam, imaginē, Mæcenates, ab Apelle Ephesio pictore accepi: qui Calumniam ita tum depinxisse fertur, quum apud Ptolomæum regem ob coniurationem in Tyro à Theodota quodam exortam, quasi adiutor eius & confocius, delatus esset: quum tamen neq; Tyrum vmquam vidisset, nec Theodotam etiam ipsum, præterquàm quod ex aliorum sermonibus

monibus

monibus intellexerat, eum sub Ptolomæo rege Phænici præesse, cognouisset. Quidam verò Antiphilus nomine, qui artis simul & gratiæ quoq; Apellæ intempestiuor erat æmulus, apud regē in suspicionem Tyriæ illius coniurationis eum ita induxerat: quòd cum Theodota, factionis eius principe, familiariter conuersari, conuiuari etiã, atque inter conuiuandum in aureis clanculum confurrare visus fuerit: atque paullo tum post non Tyrum modò defecisse; sed Pelusium quoq; Apellis consilio & auctoritate captum esse. Quod quum percepisset, & antea sanæ parum mentis compos, & calumnia tum hac perculsus repentina atq; crudelissima, Ptolomæus, ita flagrare cepit amentia, sic inflamata ferri ira; vt, priusquam ipse quodam odore suspicionis illud sensisset, neque dum rem perfectam arbitrari posset; quo animo criminator, Apellæ artis æmulus, fortuna egens, vita turpis, existimatione abiectus, impudentia atque audacia fretus, id faceret, non spectauerit: vt Apellem in super ipsum, ab eò calumniòsè criminatum, multò tenuioris esse fortunæ, quàm vt Pelusio proditionem non dicam moliri, sed ne minari quidem potuisset, non intellexerit: vt regijs hunc ipsum muneribus magis fuisse ornatum & auctum, quàm pictoreis ceteroquin omnèis, non animaduernerit: vt denique, an in Tyrum hic aliquando nauigasset, interim non inquisiuerit: sed vt hac eum de criminatione condemnari leuissima atque infirmissima quamprimum

D E C A L V M N I A

mum oportere censuerit. Iam igitur insuetos in regia tumultus ipse excitat; perfringit ac profternit omnia cupiditate & furore; & Apellem perfidiosum esse, & hominem nequam, improbum, atque ingratum vociferatur; ac clamore eum & minis, ut rebellem, ut insidiatorẽ, ut seditiosum, insequitur. Atq; nisi ex ipsis coniuratis quispiam, qui in carcere tum regio cum socijs detinebatur, quiq; maximum illud & impudentissimum Antiphili mendacium derestabatur, & qui innocens casum Apellis, ad quem crudelitas inimici, scelus infidelis fraus inuidi perculerat eum, misericordia tactus dolebat, ipsi cum seditiosis nihil unquam fuisse commercij probauisset, improbitatis certò Tyrriorum pœnas pendere coactus, & capitis supplicio, nullo dum contaminatus scelere, adfectus fuisset. Ea igitur ratione, istius improbitate depressa aliquantisper, veritate emergente, quin immo patefacta, atque omni iam errore sublato, Ptolomæus sibi restitutus eò transferre illius turpitudinis infamiam, vbi cetera maleficia constiterant, & ab eo suspicionem discedere, ad quem nunquam accessisse culpam viderat, seuerè statuit: & Apelli quidem centum donauit talenta; calumniatorẽ verò Antiphilum ipsi perpetuam in seruitutem addixit. Apelles autem periculi, in quo constitutus fuerat, illius tam atrocis memor, in ipsam eiusmodi pictura Calumniam vltionem facere voluit. Ad dextram longissimis quidam, ut Midas olim Asininis, auribus insigni-

tus

rus sedet; qui procul ad se accedenti CALVMNIÆ
 manum porrigit: duæq; eum mulierculæ, IGNO-
 RANTIA, opinor, & SVSPICIO, circumstant: sed
 CALVMNIA pulchrè ornata aliò properè adcurrit,
 ipsoque vultu & habitu quodam corporis effre-
 nem suam atq; acerbum prodit furorem, & iram
 in turbulento diu gestatam ostentat pectore: ea-
 que in sinistra manu flagrantem, ad inflammandos
 hominum animos mirè adcommodatam, facem
 gerit: dextra verò iuuenem quædam, manus suas
 ad celos extendentem, ac deorum immortalium
 fidem & auxilium miserabiliter implorâtem, cri-
 nibus prehensum secum rapit. Præcedit autem i-
 psam pallidus quidam, quasi confectus senectu-
 te, præpeditus morbo quodam fontico, mancus,
 & membris omnibus captus, ac debilis, hastili ni-
 xus, & animi vim & infirmitatem corporis osten-
 dens Vir, quem ex his facile LIVOREM esse cogno-
 ueris. Quædam verò etiam mulieres pedisse quæ
 Calumniam concomitantur ipsam; quarum offi-
 cium est; dominam suam, vbi opus habet, mone-
 re; tum probè institutam hortari; atque deinceps
 pulchrè non solùm ornare, sed etiam vnde quaque
 munire: qui picturam hanc enarrabat, eas nomi-
 nari dicebat INSIDIAS & FALLACIAS. Has demùm
 lugubri vestitu PÆNITENTIA ponè consequitur;
 operta quidem adhuc illa, sed prorsus lacera: quæ
 collo obtorto, & capite in tergum inflexo, lacru-
 mis & pudore subfusa VERITATEM è longinquo
 pedetentim aduenientem excipit. Atq; hac qui-
 dem

D E C A L V M N I A

dem pictura suum Apelles ex criminationis ignorantia casum proposuit. Nunc autem & nos, Mæcenates, ne diutius oratione mea suspensa expectatio vestra teneatur, ad Ephesini istius pictoris exemplum, Calumniæ ratione is omneis, & omneis, quātum possumus, causas enumerabimus. Ac primū quidem faciendum mihi, Mæcenates, est, ut vobis eam breuiter definitione, quæ typi cuiusdam nobis loco fuerit, deliniam & explicem. Vnde CALVMNIAM dico, delationem ex odio confictam, quæ clam aduersus reum adducta, atque tenuissima suspicione confirmata, calumniatori creditur; ita ut delatus tum minus aptè suam causam & liberè possit defendere. Atque hæc quidem, quam modò recitavi, criminationis descriptio, ceu tragica quædam fabula, tribus omninò personis, DELATORE, DELATO, & ipsius delationis AUDITORE, constat: quorum cuiusque personam in actu fabulæ huius sustinebimus, ac officium etiam vniuscuiuslibet ipsum in nos quodammodo recipiemus. Quid autem est, Mæcenates, quò minus fabulæ huius principem, ac veluti choragum, CALVMNIATOREM, inquam, in medium primò producamus? Is equidem quàm minimè probus sit, quàm nulla fide, virtute nulla sit præditus; quis est, amabo vos, qui adfirmare non audeat? Siquidem hoc fixum & in perpetuum ratum esse oportet; quòd nullus vniquam vir bonus ad damnum & fraudē amico faciendam, versare mentem suam existimari

mari

mari debeat: quando bonum quidem virum de-
 cet, benefaciendi potius amicis, quàm inimicos
 carpendi studio hominum ad se animos adlicere.
 Vnde profectò consequitur, calumniatorem esse
 hominem (sed quid hominem dico, qui sibi præ-
 ter formam nihil ad similitudinem hominis re-
 feruat?) iniustum, sceleratum, impium; seu, vt si-
 mul omnia dicam, calumniatorem communibus
 rebus, suprâ quàm credi potest, esse malum. Illud
 enim quis est qui dubitare debeat, **ÆQUALITA-**
TEM, & quod volgò iactari solet, **NE QUID NIMIS**,
 Iustitiæ perfectum esse finem? **INÆQUALITATEM**
 verò, quodq; nimis est, Iniustitiæ metam esse? At
 enim clancularia in absentem criminatione vtēs,
 an non æqualitatis metam transgreditur? quidpe
 is Auditorem primitus sibi totum conciliat, &
 aureis eius occupat atque obturat, easque futuræ
 defensionis acerbissima sua criminatione, qua o-
 mnem suspicionem in istum commouet, surdas
 planè reddit & inuias. Quæ quidem summa, sum-
 morum etiam legislatorum, **SOLONIS & DRA-**
CONIS, iudicio, est iniustitia: qui neminem volue-
 runt, non modò de existimatione cuiusquam, sed
 ne pecuniaria quidem de re minima, esse iudicē,
 nisi qui inter ipsos conuenisset aduersarios. Qua-
 re Senatū etiam Atheniensem iureiurando ob-
 strinxerunt, vt simili beniuolentia, similique gra-
 tia vtrumq; **IUDEX & REVM & ACTOREM** audiret:
 nec quidquam in iudicium præiudicati adferret:
 atque vel absolueret hominem nocentissimum

**

polle.

D E C A L V M N I A

posse, vel eum, de quo esset orta suspicio, calumnia obpugnatum, re illa incognita primò condemnare velle, non licere arbitraretur: libidinemque, & odium, & inuidiam, & metum, & cupiditatis omneis amoueret. Exsecrandum enim esse & detestandum IUDICIUM, si tamen iudicium, & non potius ruina seu tempestas iudicij nominari debeat; vbi ad causas iudicia iam facta domo deferuntur; & in ipsa causa prius cõcluditur, quàm Defensio iuxta Accusationem posita paribus cū ea lancibus examinetur & ponderetur. Huc addendum: quòd iudices illi, qui Actori benignas libereque patenteis ad commodarunt aureis, & Reo deindè eas obcludunt, vel calumniosis occupati sermonibus tacitè eum damnant, præterquàm quòd Conscientiam mentis suæ, quam à dijs immortalibus accepimus, quæq; à nobis diuelli non potest, fedè ac nefariè contaminant, inclementissimum etiam Deum sibi comparant. Facite igitur, Mæcenates, vt quàm longè Calumnia à Iustitia, quàm longè ab Æquitate, à Bonitate, à Legibus, à Iureiurando Senatus in benè constituta Ciuitate, siue in Imperio Iudicis, cuius mens, & animus, & consilium, & sententia posita esse in Veritate debet, sit remota recordemini. Sin verò legumlatoribus illis, quorum mandata exigunt, vt iuxta Æquitatem, nõ autem Partium Auctoritatem iudicetur, quis suffragari nõ velit; præclarã hãc optimi Poëtæ sententiã, vel sacrosanctã potius legẽ, ille diligenter expèdat; qui sic ait:

Non

*Non tollat Litem Sententia; ni prius Aequa
Libretur, quid vtrinq; queat, vaga Caussa Balance.*

Intellexit nimirum diuinus Poëta, nusquam maiorem, aut magis etiam nefariam reperiri iniquitatem vllam posse, quàm si inaudita quis causa damnetur: id quod Calumniator quidem vndequaq; tentat; dies omneis ac nocteis de eo cogitans, quomodo cum eius, coram quo res agitur, furore ac scæuitia Reum indefensum committat, atque innocentia defensionem prorsus intercludat. Nulla enim, attendite Mercenates ad id, quod à me apertissimè dicetur, nulla grauitas, nulla constantia, nullum firmum in eiusmodi hominibus consilium, nulla denique est testimonijs fides: pleni sunt sollicitudinis; timoris pleni: adè vt nihil, nihil (inquam) audeant apertè facere: nō absimiles ijs, qui hostem insidiosè suum ex transverso impetunt; aut ex specu quodam abscondito tela in eum mittunt: ne sui fortè rationem ille iustam habens, aut aduersum eos se muniat; aut quouis etiam modo, seu telis eminus, siue manu propius feriendo, se defendat; sed imprudens, nec inimicum agnoscendo suum, nec dolum etiam ipsum præsentiscendo, subcumbat & obprimatur. Quod equidem minimè fallax est indicium, & argumentum satis euidens, in Calumnia nihil veri, nihil æqui, nihil prorsus boni inesse. Quisquis enim in crimen alium vocare laborat, actionisque suæ bonitati fidit, ac veritate nititur: ille medeus non modò coràm id & ingenuè facere

D E C A L V M N I A

non erubescet; sed & auscultantem in super ob id grauiter istum increpabit: neq; praesentem cum aduersario contentionem concertationemque non tantum abhorrebit; sed vehementer etiam quomodo crimini patrocinetur suo, ea quidem cognoscere ratione cupiet. Quemadmodum in bello solet euenire: vbi si quis hostem aperto (quod aiunt) Marte suum prosternere posse nihil dubitat, summæ sibi infamiae loco ducit, fraudulentam & infidijs instructam aduersus eum pugnam suscipere velle. Sunt autem eius generis homines, qui Magnatum his artibus fauorem aucupantur, in Regum ac Principum virorum Aulis, atque Comitatus, seu famulitijs, vbi perpetuum odium & inuidia, perpetuæ ac variæ suspiciones, atque perpetuò tum adsentandi tum vetò calumniandi plurimæ se occasiones offerunt, admodum frequentes: ibi enim quisque se vult posse omnia, neque prætereà quidquam esse aut in homine vllò, aut in ordine: & quò pluribus plura spes ostendit; eò maiore inuidia, eò tetrore odio, eoque callidioræ æmulatione sibi quisque cõcertandum esse persuadet. Proin omnes eum, qui altiore dignitatis gradum beneficio Regis consequitur, aut Principis, odisse subindè solent. Hincque videre licet, quanta acerbitate, quanta toruitate alius defigat in alium oculos; quanta curiositate alter vbiq; alterum, ac si iam iam congregari, & ad manus vtriusque venire velint, obseruet: idque tum maximè, quum in alterius corpore ab

re ab

re ab altero fortè nuda vel non ita probè munita pars, qua eum facilè, non magna iactura facta, ferire possit, conspicitur. Vnuiquisque igitur, mihi credite Mæcenates, in eiusmodi mente & cogitatione versatur, omnemque illam suæ acerbiter calumniæ in hanc rem confert vnam; quò, dum princeps esse cupit, proximum dejiciat; precipitantem impellat; perditum prosternat; & pedibus subiectum conculcet. Istic ergò si quisquæ est vir frugi, atque integer, & parùm fortasse versutus; ille perquam falsè taxatur, & nasutè irridetur, exagitur etiam acerbius, atque ignominiosius tandem ex lepidorum scilicet eiusmodi Aulicorum numero extirpatur: quum is econtrà, qui ad adsentandum paullo callidior, & ad mentiendum aliquantum impudentior est, mirificè laudari, ob idque palmam alijs magnificè præripere solet. Verùm in hac tamen adedò sollerti concertatione iuxta versus illos Homericos euenire tandem omninò solet:

*Scauitur dubio passim Mauorte, & acerbò
Fato succumbit cum Victo Victor eodem.*

Quamquam verò, Mæcenates, vna semper & eadem omnibus in locis est acerborum & criminorum impudentia; tamen alius semper alium via tentat alia; & nullum quisque locum prætermittit, in quo non insidias instruat aliquas; vt fieri plerumq; solet, quum ingens aliubi emolumen-

**

3

tum

D E C A L V M N I A

tum indagatur: sed Calumnia tamen ad hæc viâ
 primùm adparatur; quæ quidem vt est compen-
 diosa, sic minus etiam tuta est: ab ipsa namque in-
 ter SPEM & METVM suspenſa INVIDIA principium
 debet fieri: Finis autem quàm miser est? quàm hor-
 ribilis? quàm calamitosus? tum verò Delatoris et-
 iam ipsius labores, etsi contrarium potest alijs vi-
 deri, quàm minimè sint faciles, quàm minimè le-
 ues, non videtis? Hominem enim eum ad varias
 excogitandum arteis acutissimum, ad efficiendû
 studiosissimum simul atque acerrimum esse, sum-
 mamque adhibere diligentiam oportet, ne quid
 cupidius, ne quid iracundius, ne quid plus minús-
 ve, quam sit necesse, dicat. Etenim calumnia vsq;
 eò pernitiōsa non esset, neque Veritatem, rerum
 alioquin omnium Reginam, tam facilè profliga-
 ret; nisi Auditor singulari quadam & pænè incre-
 dibili agilitate atque astutia vel imprudens cir-
 cumueniretur. Iam verò is, Mæcenates, probris
 omnibus maledictisq; plerumque vexatur; qui
 splendidioribus fortè, quàm alij, honoribus & di-
 gnitatibus est auctus: Is enim odio expositus est
 eorum, qui aliquid ante eius profectum speculæ
 degustauerant, perueniendi ad honoreis, & fru-
 strati postmodò sunt, atque in summum regni lo-
 cum non potuerunt ascendere: Vnde fit, omnes
 vt in istum, tamquàm in propositum sagittarij sco-
 pum, oculos intendant: quidpe qui ipsos nō præ-
 uenerit solùm; sed qui viam quoque honoribus
 antè suis latè patentem obstruxisse videatur: pro-
 pterea-

prereāque hac quilibet spe ducitur firmissima, se posse turbulenta hac, grauandi eum apud amicos inuidia, honori velificari suo ratione, & hoc vno criminationis studio viam sibi ad impetrandum munire beneficium. Sic quidem in certaminibus vt plurimūm cursorijs euenire solet; ingenuus vt Cursor, qui, postquam è corporis sui virib. ac robore spē sibi victoriæ certam fecit, apertis primūm carceribus, præcursum statim adpetit, atq; suum in curriculi metam intentum habet animum, nec sequentem impediat, neque cursu laborantibus vnā socijs moram iniicere vllam cogitet: vbi contrā malitiosus, inualidus, & eneruis quispiam, qui cum alijs currit, quum viribus nihil suis fidat, insidiosus tantūm præstigijs studet, & astubus varijs: atque in id totus incumbit, quo currentem modo detinere, quo retardare, quo à recto præpedire cursu valeat: atque nisi hic ipsi dolus successerit, non est cur vlla sibi ratione ac via polliceri victoriam audeat. Quid autem, Mæcenates; an non simile quiddam heic contingit? an non ei, qui in expetendis atque consequendis præclarorum virorum amicitijs paullo procedit felicior, in insidias illicò labi, in eisque ab inuidis suis comprehendi, ac miserè discerpi necesse est? an verò non ipsi postea insidiatores, ex eo, quòd tam scitè probis illudere, tam adpositè synceris obesse, tam fucate simplicibus imponere potuerunt, maximè incipiunt amari? maximè diligi? maximo in honore haberi? atq; cōmodis omnibus adfici? Quam-

**

4

obrem

D E C A L V M N I A

obrem vt eruditam artificio simulationis quocun- que, & à vero non crasse abhorrentem adferre possint calumniam; non quidem illud, quod casus fortè quispiam illis obfert, extemplò adripiant: sed summū potius laborem, sed omne etiā impendunt studium, vt acuta in primis que diligenti exquisitione obseruent; ne, quod causam fortè suam parūm possit certam arguere, aliquid ab ipsis immisceatur. Itaque omneis Eius, quem calumniantur, ratione in suam, quantum possunt, partem detorquent; easque, accusationis vt interim suæ fidem stabilientes traducere Auditorem ad suam possint sententiam, quoquo modo suspectas reddunt. Sic Medicum veneficij; sic Ciuem aliquem primarium adfectatę tyrannidis; sic Tyrannum proditionis insimulant. Sed & ipsius interdum AUDITORIS adfectus & cupiditas magnam flamam eiusmodi Calumnia excitatam fouet, atque maiorem etiam ac multò fortio- rem eā efficit: quò si tenebriones illi subdoli, maliuolentia infuscati, & adsueti mendacijs, machinas etiam directò suas admouent, quàm verò egregiam putatis inde exoriri delusionem? Veluti, si Auditorem suum in amore suspiciosum esse nouerūt; hic, aiunt, vxori inter conuiuandum tuæ sæpius adnuit, & crebris semper atque fixis adedò obtutubus,

— *alto suspiria pectore duxit;*

vxore in eum vicissim blandè nescio quid & amatoriè

toriè præseferente; atque his tum plura, quæ ad-
 ulterij alant suspicionem, addunt: Sin est poëta,
 & in arte sibi ipse sua placet; tum Philoxeni, di-
 cunt, tua non probantur carmina; præterquam
 enim quod illepida vocat & inuenusta atque im-
 polita, cõtra eius etiam artis præcepta malè con-
 suta & hiulca esse dicit: ad Religiosum autem, ec-
 ce, inquit, hic est contemptor ille Deorum atq;
 omnis pietatis; non pessimè solùm de ijs sentiens;
 sed proscindens etiam Sacra conuitijs; & genera-
 lem, qua gubernantur omnia atq; conseruantur,
 prouidentiam plènè tollens. Tum quidem Audi-
 tor, quasi æstro percitus quodam, ira inflamatur,
 & exasperatur: ac vt mare, quod natura tranquil-
 lum est sua, ventorum agitatur vi atque turbatur:
 sic ille sua prius sponte placatus, improbissimo-
 rum vocibus hominum vt violentissimis tempe-
 statibus concitatur; atq; prout rem hinc ferè col-
 ligit, prius amicum in tanta à se vesania repellit,
 quàm ipsa vt sese res habeat rectè cognoscat. In
 hac igitur istorum criminatione is ratione versa-
 re intellegitis, Mæcenates; quæ quamtam ad per-
 mouendos Auditorũ animos efficaciam habeat,
 non videtis? Quid? quòd hæ hominum pestes o-
 mni perquã sedulò contentione aduertunt, quo-
 modo telis auditorum suis ea parte petant, qua
 quisque maximè munitus & insigniter egregius
 existit? prudenter equidem cauentes, ne fortè ca-
 lumnia, dum minus vehementeis habet repenti-
 nos impetus, spatio interposito, & causa cognita,

**

§

confe-

D E C A L V M N I A

eonfenefcat; atq; cautè simul prouidentes, vt ab
 adfignati præfracta criminis admiratione, & ſpe-
 cie quadam veritatis, ille quaſi victus, Delatum
 poſteà cupientem ſe defendere non admittat. Di-
 ci enim profectò non poteſt, quam probè & vali-
 dè armata potensque ſit Auditoris à nutu volun-
 tateque non aliena penitus Calumnia. Qua de re
 ſi vnum iam & item alterum ex Antiquitate ex-
 emplum protulero, plura non dicam; non enim
 mihi factum ſummi & tamtopere laudati princi-
 pis ALEXANDRI prætereundum videtur: ſed recen-
 tius tamen Ptolomæi illud DIONYSII exemplum
 præmittam. Apud hunc enim DEMETRIVS quom-
 dam Platonius clam ab aliquo erat delatus, inſi-
 mulatusque; quòd in Dionyſijs aquam biberet,
 & omnium ſolus muliebri non indueretur habi-
 tu: quæ quidem criminatio illi, niſi ad regem ac-
 ceſſus ſummo mane vinum potaſſet, adq; chor-
 darum ſonitum, fœminea amiſtus inſtituta, bac-
 chantium in morem, ineptè ſaltaſſet, in certiffi-
 mam ceſſiſſet perditionem; quòd & Regis non
 eſſet imitatus exemplum, & Dionyſiam adſper-
 natus vanitatem fuiſſet. Apud Alexandrum dein
 maximi agebatur flagitij reus ille, qui HEPHE-
 STIONEM ſingulari adorationis cultu non adſicie-
 bat: Eo enim exſtincto Alexander, ex nimio eius,
 cui ſe totum dediderat, amore, vltra theatricam
 illam ad ſepulturam ipſius adhibitam pompam,
 etiam hoc addi voluit & obſeruari, humanis
 vt rebus exemptus HEPHESTION immortalibus
bus

bus adnumeratur, & illis haberetur

Par in honore Deus. —

Tunc quidem vniuersæ protenus atq; omnes ferè ciuitates in nouitij huius dei patrociniū atque custodiam commissæ: tunc templa atq; altaria posita: tunc sacra etiam, & festa, similiaq; ad eius cultum pertinentia, instituta fuerunt: quin etiam summum fuit, atque sacratissimum iurandum, si quis in Hephestionis nomine iurasset: Illi verò capitis ostētabatur periculum, secus qui existimaret, quàm Alexander existimari vellet, de ipsius diuinitate, & cultu, atque virtute. O summam Regis ineptiam! ô stultitiam insulsissimam! ô delirationem verè anilem! quæ quamtam Adulatoribus eum iritandi & exacerbandi in alios occasionem præbuerit, adsequi facile coniectura potest: tum enim de Hephestione somnia exponebātur: Hephestionis tum cernebatur spiritus: tum miracula Hephestioni adsignabantur: tum aræ, tum oblationes Hephestioni, tam familiari deo, tamq; benigno constituebantur. Quibus quum Alexander omnibus mirè primùm adficeretur; eò tandem est amentia delapsus; ipse etiam non dubiam vt huic rei fidem adponeret; atque tantum se virum gloriaretur, qui non à dijs modò sit progenitus; sed qui deos etiam ipse constituere possit. Quàm molestè verò, Mæcenates, & quàm grauitè Alexandri tum amicos hanc Hephestionis

nis

D E C A L V M N I A

nis tam subitam deificationem tulisse putatis? quæ
 volgarem illum, seu regium potius, &, vt ita lo-
 quar, Alexandrinum non aperto pietatis cuiusdã
 & sanctimonix singularis studio deum honorare
 videbantur, ijs statim vt deferebantur, Regis ex-
 cidere gratia necesse erat. Agathocli tum Samio,
 primario in Alexandri exercitu Militum Duci, &
 honore apud ipsum Regem clarissimo, & Digni-
 tate apud alios celeberrimo, pænè vt à leonibus
 dilcerperetur obtigerat; eò quòd ad Hephestio-
 nis eum fleuisse sepulcrum incusatus apud Regẽ
 esset: Verùm Perdica tamen quispiam eum serua-
 uit, omneis deos, maximeque Hephestionem iu-
 reiurãdo testans; in venatione ipsum sibi Hephe-
 stionem illustri & splendida planeque diuina ad-
 paruisse forma, & iniunxisse, Alexandro vt dice-
 ret, ne quid in Agathocle seuerius statueret, qui
 eas profuderit lacrimas, non quod diuinitatem
 Hephestionis fictam esse aut falsam putasset, ne-
 que quòd communem eius cum hominibus in-
 teritum alijs defleuisset; sed veteris recordationẽ
 familiaritatis & amicitix, que inter ipsos olim in-
 tercellerat, istas ipsi lacrimas expressisse. Alexan-
 dro autem ita adfecto, quid est, quamobrem non
 aptum atque in primis optatum apud eum Adu-
 lationem & Calumniam locum habuisse creda-
 mus? Quemadmodũ enim ij, qui urbem suis mili-
 tibus quamdam suisque præsijs cingere & ob-
 pressam aliquando tenere cupiunt; non eo quidẽ
 loco, vbi altis & asperis atque condensis probè
 munita

munita est muris, incursionem in ipsam faciunt: sed ad consensu facileis parietinas, vbi se parum tueri hostem ac defendere posse vident, se conferunt, ibiq; impetu eum violentiore petunt; quidpe quā non difficulter irruptionem in vrbem facere, eamque obpugnare possint: haut sanè aliter illi, qui calumnias intendunt alijs, ea, quibus Auditorem capi ac deliniri posse credunt, adducunt omnia, & machinas præsertim eò suas omni vi admovent, eius vbi mobilem animum & oscitantē perquam leuiter possint impellere. Quòd si autē hostileis nemo non solùm prohibet, sed ne animaduertit quidem impetus; quid vetat, quò minus tum vrbem isti obtineant? per eam immanissimorum more latronum bacchentur? vastent ædeis? templa diripiant? depopulentur? incendant? non sexui, non ordini, non ætati parcant vlli? cæde ac sanguine compleant omnia? Certò; sic animus etiam ab his irretitus & occupatus turpissimè deuastatur. Iā hoc ignoratis? Mæcenates; munita potiantur vt vrbe milites, opus habere non tantum gladijs; sed arietibus etiam, sed tormentis varijs, sed arcu, sed balista, sed pyrobolis, sed similibus deniq; ad impressionem faciendam necessarijs instrumentis? Ita quidem Calumniatorū in absenteis armaturam esse, non modò Reprehensionem; sed etiam Fraudeis, sed Mendacium, sed Impudentiam, sed simileis præstigias innumeras, atque malitiosas Insidias; maximeq; præsentem esse & inprimis præstantem Adulationē,
Calumniæ

D E C A L V M N I A

Calumniæ vicinam, imo cognatam, imo sororē, nescire non debetis. Nemo enim est, Mæcenates, incredibile propè dictu est, sed à me verissimò dicitur, nemo est hominum, qui tam firmo atque constanti sit animo, licet etiam adamantina quædam in eo firmitas habitare videatur, si criminationibus mouetur, quin idem quoque vincatur Adulationibus. Hæ quidem extrinsecus agunt cuniculos, & recti fundamenta iudicij euertunt: ac verò coniurati intus proditores, illa externorum robora hostium, manus præbent auxiliareis; portas aperiunt; &, quoad eius fieri potest, Auditorum illis in obsequium tradere cōnituntur. Proditores autem, quos dico, Mæcenates, sunt hi: Nouorum à natura hominum mentibus insitum Studium, & Fastidium præsentium, atque summū eius, quò cum admiratione quadam animi propendent, Desiderium. Nescio enim quo pacto semper hoc fit, neque in vno aut altero animaduersum est. sed iam in pluribus; simul atq; hominem, sui præsertim amantem, hæc impetit Admiratio, sibi vt eam protenus abripiat, atq; peruersis inuoluat suspicionibus: quorum equidē multos animaduerti, qui bus audire calumnias tamtæ esset voluptati, vt ad quaslibet suauis quadam, ac si mollibus eorum aures plumis demulcerētur, delectatione quasi subsilierint. Ita ergò Calumniatoribus, istorum (quos iam antè dixi) sociorum auxilio, aliquò irrupētibus, omnia statim, summaque & ima, pro viribus subuertunt; atq; facili-

m o

mo tum labore victoria potiuntur insolētissima: quandoquidem illis nemo se obponit; nemo iaculorum vim sustinet; nemo cum telis tela mutat; nemo deniq; vt defendat contrariam partem laborat: Auditore iam sua se sponte hosti submittente; ac Delato insidias interrim eiusmodi sibi paratas ignorante; qui Reus, ignarus tamen rei, factus pæne dormiens, perindè atq; is qui in capta remansit vrbe, iugulatur: intereaque, quod sanè iniquissimò comparatum ac maximè miserū est, nullam veritus accusationem, ac nullius sibi criminis conscius, eum, quem amicum sibi arbitrat, ex consuetudine syncerè semper adit, & candidè cum eo concreditur, & amicè suo more salutans æquè conuersatur; quum apud ipsum tamen obscure ab aliquo delatus & dolosè iam antea circumuentus sit: tunc quidem & ille, si vir grauis, si magnanimus, si syncerus est, erga eum aliquando mitescit; mox etiam placatus ipsi fit, eiusque excusationem seu defensionem potius accipit; & animum frustra suum in amicum fuisse incensum & exacerbatum intellegit: si leuis est, & asperæ atque turbatæ mentis homo, cum ipso tum quidem, ita postulante necessitate, concreditur, ac obiter etiam salute dicta summis videtur adridere labris; sed odio nihilominus eum prosequi tamen vsque pergit, & clam quoq; dentibus in ipsum frendit, atque (vt poëta loquitur)

puluinos exstruit ira.

Sed

D E C A L V M N I A

Sed ô iniquum! ô crudelem! ô retricum hominem istum! qui dulcia oris sui felle scatentis labia alicui præbet, & in sese cunctas odij tempestateis intus ipse concitat! qui aliud in corde tenet conditum, & in apertum aliud lingua profert! qui Comico quodam & hilari gestu, tristem planeque Tragicam agit fabulam! Istud autem, Mæcenates, Delatorum maximè solet obtinere, quando Criminator haut absimili apud eum, quem insidiosè adit, impudètia mussitando suum celauit odium; & id adsequutus est, vt, quum istius non commoda solùm, verùm etiam salutem iam obpugnauerit, & impediuerit, amicus tamen esse videretur: nam ne verbum tunc quidem, nedum legitima criminati defensio percipitur. Tamtus, ô dij immortales! propter insidiosas falsorum amicorum simulatione is versatur error! Sed quamtò sanè melius heic esset considerare, inter amicissimos etiam non raro simultatum & magnarum dissensionum causas alijs ignotas, exoriri atque intercedere posse? Tum autem hoc nescitur? Calumniatorem eius sæpè criminis reum agere socium, quod non vanè sibi imputatum iri nouit ac veretur; hac vt scitissima nimirum ratione, per eum, quem accusatione sua anteuortit, à criminis & culpæ suspicione liberetur? Hinc enim illud est; quòd eos, qui amici ab alijs nostri creduntur esse optimi, numquam vt inimicos criminemur. Etenim accusationi, ipsam se, Accusantem odio munitionum esse, prodenti, fidem adhibere quis velit?

Atque

Atq; inde adeò, aliud quiddam obscure molientes, aliud spe ac specie simulationis ostentantes, amicos volgò nostros habitos ita quidem adorimur; perinde quasi Auditori fidem hoc modo atque constantiam probare nostram velimus; quidpe qui vel præstantissimorum amicorum còmodum ac salutem rei ipsius veritati longè posthabeamus. Sed aliorum etiam aliud est hominum genus; quos, vbi manifestum tandem euadit, amictim apud se suum falsò criminatum esse, sinistram de eo opinionem sua tam leuiter mente comprehendisse pudet: ideoque nec in ipsius postea conspectum erecti venite; neque vel serò veteris illius insimulati criminis diluendi potestatem date audent. Atque eò quidem in humana vita tam multa molesta ac difficilia, quæ subire cogimur, esse constat; quòd delationibus tam volgariter ac indifferenter omnibus, contra quàm fas est, sine vlla dubitatione creditur: qualis illa apud Poëtam est Antix:

*Bellerophònta, nisi vis Præthe perire, necato;
Qui me fœminei spoliare nitente pudoris
Ornatu inuitam voluit. —*

Quum ipsa iuuenem ad concubitum laccessisset, ab eoque spreta esset; in id postmodò eum induxit periculum, vt cum Chymæra pugnam iniens, à victrice pænè dilaceratus bestia miserabiliter interiisset: tamta (ò rem omni humana cogi-
*** tatione

DE CALVMNIA

tatione turpiorem!) castitati ac pudori iuuenis il-
 lius, quem in falsum mulier apud hospitem adul-
 tera crimen induxerat, pæna fuit proposita! Huic
 quoque similem planè calumniam Phædra priui-
 gno adfixisse suo fertur: cuius gratia in eū (nul-
 lam quidem ob turpitudinem, nullum ob totius
 vitæ non dicam flagitium, sed neque vitium, imò
 ne vitium quidem, sed nec erratum) à Theseo ita
 animaduersum patre fuit; is vt filij sui caput diris
 deuoneret omnibus, ipsumq; marinis discerpen-
 dum bestijs transmitteret: quamquam, prò di im-
 mortales! hoc neque sanctior homine, neq; pro-
 bior, neque in pudore retinendo integrior esse
 quisquam potuit. Quid autem? quæretis for-
 talsè Mæcenates: numquid igitur vir alioquin
 honestus, atque recto præditus iudicio, qui ab-
 sentem de flagitio fortè quemdam accusat, fide
 aliquando non est dignus? numquid ille, quum
 nullis possit sceleribus alijs insimulari, non au-
 diendus erit? Huic ego quæstioni primùm illud
 commune obponam; neque in re nota consumã
 tempus exemplis; ponam autem illud: Num quis
 alius Aristide fuit iustior? at Themistocli tamen
 aduersatus ille fuit, contra quem etiam populum
 (vt fertur) ex mera, propter laudem popularem
 atque honoris egregij lucem, inuidiã concitauit:
 Aristides equidem bonus vir, sed homo tamen,
 adeoque non sine felle fuit: amare enim alios, a-
 lios odisse solebat. Similiter: si, quod de Palame-
 de dicunt, verum est; sapientissimus ille quidem
 Achi-

Achiuorum, atq; ad cōtemnendū res alias ad pri-
 mē fuit habilis: at nihilo tamen secius cognato &
 amico atque belli etiam eiusdem socio suo insi-
 dias ex inuidia posuisse fertur. Usque eò huma-
 nam hoc errore naturam teneri familiare est!
 Quid verò præterea Socratem etiam heic nomi-
 nare necesse habeo? quem pro factioso Atheni-
 entes & seditioso habuerunt. quid porrò The-
 mistoclem? quid Miltiadem? qui post tot partas
 victorias proditionis crimen non effugerunt.
 Multa sunt eiusmodi: verū quum sint aperta
 & manifesta, enumeratio singulorum exemplo-
 rum non est necessaria: atque occurram ego po-
 tius expectationi vestræ, Mæcenates, quæ mihi
 iam obloqui videtur: quid ergo? in dubijs autem
 rebus vir prudens quid statuet? Ego quidem ita
 puto: qui sapit, ille nociferum (vt Homerus in
 Sirenum fabula docet) sermonum eiusmodi
 sonitum obstructis præteribit auribus, nec vni-
 cuique cupidis adfectibus addictæ rei pandet eas
 aut aperiet: sed postquam fidum ac diligentem
 ianitorem, INTELLECTVM, Mentisque IVDI-
 CIVM, ad eas constituit; iusta quidem & recta
 adferentibus liberum ad se aditum patere per-
 mitteret; futileis autem nugas omnes excludi fa-
 ciet. Quàm enim turpe esset, si quis ostiarius, ad
 custodiendam domum constitutus, quemlibet
 vel furem incendiariūmve intromitteret: tam
 minimè quoque probandum erit, aut eis nostras

*** 2

atque

DE CALVMNIA

atque animum per eas ipsum cuiuslibet patere ser-
moni. Quòd si igitur ad earum, vt in oratione
sunt positæ, formam, criminationem aliquam si-
milémve audire vos contigerit, Mæcenates, tunc
ipsam adcuratè rem tacitè cogitationi vestrè sub-
jicitote, & de eius sententia diu multumque di-
sputatote. Nihil refert, quis ille sit, aut quàm pul-
crè, quàm acutè dicat; qui alterius vobis crimen
ostendit: nam quid alieni mores ad ipsam actio-
nem? quid porrò accusationis vel bonitas vel a-
crimonia ad ipsam Rei personam? nihil hæc, ni-
hil (inquam) ad rem faciunt. Quin potius hoc vo-
bis diligenter obseruandum est; in animis vt ve-
stris eò plures & grauiores de re versentur ipsa
cogitationes, quò paratior ad vos & instructior
Accusator venit. Neque enim conuenit, vt alte-
rius oratione & auctoritate, vel potius odio, fi-
des statim nostra nitatur: sed ipsa à nobis Veritas
studiosè tum nobiscum, tum apud alios etiam in-
daganda est; & ad vtriusque tandem in medium
adductas probationeis, quid verum, quid falsum
sit, per acri iudicio concludendum. Atque tum
deniq; vel amore vel odio prosequi licebit eum,
cuius omneis antea rationeis exactè cognouerim-
us, & vnde quaque perscrutati simus. Quod
autem sine adcurata eiusmodi inquisitione pri-
mæ statim criminationi vt plurimum indulgetur,
nimis illud profectò leue, nimis inconstans, ni-
misq; puerile est; & vt honestum virum minimè
debet;

debet; ita æquitati etiam ipsi maximè aduertatur. sed horum tamen omnium causa sola est I G N O R A N T I A, atque cæcitas illa, qua vniuscuiusque ratio & voluntas hominis densissimè inuoluta est. Proindè, si quis vitæ nostræ deus lucem communicauerit; fiet equidem, vt CALVMNIA siue in auras eunte, siue in infimum fugiēte barathrum, nusquam autem inter homineis consistente, præclaro in omnibus vitæ exercitijs lumine VERITATIS vti frui possimus.

F I N I S.



3

P O R I S.

P O R I S M A
A D L E C T O R E M.

HActenus ergò Lucianus ille Sophista
noster: in quo, præter mentem CHRIS-
T O Saluatori deditam, heïc nihil fortè re-
quiras. Adieci verò (paginis alioquin vaca-
turis) è Carminibus nonnulla meis; quæ
vnà tum, quo tempore Orationem istam
transuli, *μετρονεύμενος* cōscripsi: idq; iam cò,
vt translationis ipsius quæ caussa mihi fue-
rit, quæ mens, aliqua saltem intellegas. Po-
teram hoc vtique planius: sed heïc nolebã.
Si tamen malis postea malè de me dicere
volupe: malè vicissim vt audiant aliquan-
do, quid ni faciam? sed quid ago? quasi verò
malus & ego in malos? Mihi sanè Vespasia-
ni illud in criminatorem falsè dictum cor-
di: *Huiusmodi hominibus debemus risum: cor-
rectionem nobis. & illud Gregorij magis: In-
ustus iniusta patiens, non tam ad iram, quàm ad
preceis conuertitur. Si enim (Tertullianus ait)
apud Deum deposueris iniuriam, ipse ultor est:
si damnum: ipse restitutor est: si dolorem, ipse me-
dicus est: si mortem, ipse resuscitator est.* Huic
tam benigno Deo quemadmodum te, be-
niuole

niuolet Lector, seriò commendo: ita tibi
hæc mea Ludicra; dum seria magis subse-
quantur.

ELEGIDION
AD PANCRATIVM RVL-
mannum, Scholæ Solitariensis
Rectorem V. CL.

Miraris nostra Rulmanne silentia Muse:
Atq; quid hoc rerum tempore, queris,
agam:

Dum neq; lata canã: nec, ut antè sodalib. adsim:

Sed vel rure vager; deliteamve domi?

Talia, si querulo lubet auscultare, probabit,

Candide PANCRATI, causa seuera tibi.

Scilicet heic later; quã tempus, & (hoc fleo dudũ)

Adcumulat curas vel locus ipse meas?

Quidpe quid, heu! poterat mihi tempore tristius
illo

Accidere? in luctus par quod eratq; aliud?

Quàm LVDOVICVS ubi fatis concederet

HAGNON,

Ingenii fautor maximus ille mei?

Quo sine nũc turbatus agor; velut acta procellis

A rectore maris cimba relicta suo.

4

Adde;

Adde; quòd hunc auget luctum fortuna Parēis;
Quem versat variis insidiosa modis.
Debebat capiti hæc iniuria parcere cano:
Nempe senectæ pio digna fauore fuit.
Ab venerande Pater; nostram hanc languere
iuuentam

Tu facis: ipse tuo conficiorq; malo.
Sis tamen ô patiens: nigrum qui nouit & album,
Hac cura omnipotens te releuare parat.
Ipse nec effugio sycophantæ volnera sortis:
In me nec vireis promit acuta minus.
Et me tranquilla PANCRATI viuere mente,
Ingeniūq; iubes dona vegere mei?
Finge quidem hæc penitus sublata incommoda:
venæ

Fata mea rursus mollia finge: dabo:
Ast aliud remanet; quod si cognoueris, illi
Postpones equidem iam numerata; malum:
Nimirum heic querulæ nullà releuantur (ini-
quum!)

Muse: sic stupidi pectoris error agit.
Ingenii fetu quin lecto, sepe maligna
Pro merita Auctorem scommata laude ma-
nent.

Hæc à congressu me vestro protenus arcent:
Indolis hæc q; mea spargere dona vetant.

Nil

Nil tamen aut genio non hinc confido, vel arti
 (Quamuis hæc norim mi esse minuta) mea.
 Otia nec frustra tero: nec torpesco penateis
 Inter: ut immeritò tertia lingua refert.
 Lentas namq; moras dum fallere temporis opto;
 Desidiam fugio, quàm datur usq; rudem:
 Et vel Aristotelem lego: vel Ciceronis ad artem
 Confero me: vel tu Iustiniane subis.
 Sape etiam, sed parua, ferunt solatia Muse,
 Materia numquam deficiente, mihi.
 Destituunt certè numquam argumenta: sed atris
 Hæc mea mens curis obruta penè iacet.
 Deficeret Vatum pater ipse tot inter Apollo
 Aerumnas: caderet buccina Virgilij:
 Ingeniosus & hoc Vates ego turbine dicar?
 Hæc iucunda adeam nempe sodalitia?
 Ludis, delicijsq; vacem? varijsq; quod ætas
 Postulat, exhilarem mentem animumq; iocis?
 AESTAS ætatis BIS iam vix NONA peracta,
 Atq; (quis hoc credat?) viuere triste mihi est.
 His pressus curis animus releuetur ut, aptos
 Mox mihi secessus præbet amènus ager:
 Miror vicinos ubi culta vireta per hortos:
 Nec mihi se comitem Calliopeia negat.
 Tunc tristem, velut est frondosis abdita ramis,
 Excipit arguto me Philomela sono:

s

Exci-

*Excipit; & cantu, quasi cōdolitura, per umbras,
Conquerulo nostris adgemit illa malis.
Quid tibi, vah! dulcis Philomela, rependero,
durâ*

*Tangeris ut sortis conditione mea?
Hoc precor: agricolæ perturbent carmina nus-
quam*

*Hæc tua; nec fraudeis insidiâsve locent.
Ad quas imprudens sed laberis ô bona nugas?
Debebas auidum sistere, Musa, pedem.
Tûque ignosce; tibi hæc PANCRA TI scribere vi-
sum est:*

*Vt scires animi languida vota mei:
Quæ tibi detexi: quid enim celemus amicum?
Ac memorata aliquod fortè leuamen habêt.*

PHALEVCIVM
AD HENRICVM SEVERI-
num: Qui Serenissimæ Reginae
Angliæ modò à Linguis.

D*Vm te multigenâ imbuit celêbris
Doctrinâ decus orbis illa nostri
ARGENTINA: sinus molestè, iniquè,
Tenens me PATRIAE SEVERE dudum;
Nunc mittit spaciantem amêna (quæ sunt
Multa*

Multa heic in nemora; & venustioreis
 Nunc hortos mihi monstrat ad fluentum
 MAVRI: sæpè vireta mi sonantis
 Dant lectum quoq; CINTII petitum.

Non hinc insimulet tamen probrosæ
 Iustè me quis Inertia serenus:
 Condo Carmina nammodò: modoq;
 Ad præscripta animum voco Sophorum:
 Nihil desidiaq; peius odi.

Accedunt quoq; (pauci at ô!) sodales
 Dulces, candiduliq; & eruditi:

Quorum tædia temporis lenare
 MI semper bona comitas parata est.

Quum te non habeam sed, & videre
 Non detur (vereor) citò: acris urget
 Me confusio semper hæc recurrens.

Tui nectaris at memento rore
 Hanc desiderij sitim lenare:
 Sic viuas valeasq; amice longun.

FRAGMENTVM EX ELEGIA.
 AD CASPARVM MVSCV-
 lum. Bonarum literarum
 Studiosum.

ERgò letantur Maij dum tempore cuncti;
 Per varios mentèis exhilarantq; modos:
 Dum-

Dúmque hortos, dúmque apta petunt nemora;
irriguosq;
Fonteis inuisunt; prataq; propter aquas:
Solus ego, loca, tristis agens, latebrofa pererro:
Deq; meâ mecum plurima sorte queror:
Crebraq; si non duco sonum, suspiria duco:
Ne questûs auris sentiat vlla meos.
Quidpe bonis constat multis, neq; te latet, omnia
Acta notari atris dictaq; nostra viris.
Quare, ne in nexûs, quos subdola lingua parauit,
Incurrâ; questûs sic ego celo meos:
Et vel sola petens loca, compleo cunâta querellis:
Vel graue suspirans, tristior intus ago. &c.

SYM-



SYMBOLVM MEVM.



E STO COR PATIENS, *elementa heic infima tradunt:*
Enascens variè Corde Figura sonat:

Nempe INCONSTANTEM dat Linea ducta supernè:

Vtraq, FORTVNAM Collateralis habet.

E Recta veniens at Circulus ille figura

Est PATIENTIA, quæ flexa perindè manet.

Ad Latus adscendens dat VINCIT lineam vtrumq;

Implicitæ & signant Nomina nostra Nota.

Sic igitur posthac sit SYMBOLON vsq, GEORGI,

Quem casa produxit SOLTARIANA, FABRI:

INCONSTANTEM FORTVNAM PATIENTIA VINCIT:

FORTVNÆ SCENAM COR PATIENDO SVBI.

GAVDIVM FLETVS STIPAT.

Scripsi hæc omnia, nec sola tamen,

Solitaria: anno æræ Christianæ.

c 15. 15. xxc.

SYMEON M. E. V. M.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



A3:154973



ULB Halle 3
 004 347 536



f

56.

III


390. 208.
 1209. 210. binden.
 590.



A **f** **ru** **em** **di** **co** **no** **bis** **quod** **no**
um **ex** **mir** **rimis** **me** **is** **fec** **is** **tis**
mich **fec** **is** **tu** **is** **ve** **ni** **re** **be** **ne** **dic** **t**
pater **me** **i** **pos** **si** **de** **te** **pre** **pa** **ra**
tam **no** **bis** **ver** **um** **ab** **in** **o** **no** **te**

D

pos
mich
pater
mich
pater
mich
pater



DE CALVMNIA
ORATIO:
QVAE TVRPIS-
SIMI ISTIVS VITII
TVRPITVDINEM SCI-
tè proponit.

E GRÆCO
LVCIANI SAMOSATENI
*In Latinum sermonem adcommodatè
conuersa, & recens edita,*
per
GEORGIVM FABRITIVM
SOLITARIENSEM.



*Bellum mouet Calumnia:
Victrix triumphat Veritas.*

clō. Is. xic.
69.

